



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare non dicimus patrem & filium, & spiritum sanctum esse tres Deos, vt
tres personas F

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Quare non dicimus tres Deos esse, patrem & filium & spiritum sanctum, ut dicimus tres personas, cum id quod Deus est sit eis commune: quia pater est Deus, & filius est Deus, & spiritus sanctus est Deus.

SED quaeritur hic, cum dicamus patrem & filium & spiritum S. esse tres personas, quia commune est eis quod persona est, id est, quia pater est persona, & filius est persona, & spiritus sanctus est persona: cur non dicamus similiter tres Deos, cum & pater sit Deus, & filius sit Deus, & spiritus sanctus sit Deus. Quia illud scilicet scriptura contradicit: hoc autem, & si non dicit, non tamen contradicit. unde Augustinus hanc quaestionem atque definiens in libr. 7. de Trinitate, ait: Si ideo dicimus patrem & filium & spiritum sanctum esse tres personas, quia commune est eis id quod persona est: cur non etiam tres Deos dicimus? Certe ut praedictum est, quia pater est persona, & filius est persona, & spiritus sanctus est persona, ideo tres personae dicuntur. Quia ergo pater est Deus, & filius est Deus, & spiritus S. Deus, cur non dicuntur tres dii? Ecce proposuit hanc quaestionem: attende quid respondeat subdens: An ideo non dicuntur tres dii, quia scriptura non dicit tres Deos? Sed nec tres personas alicubi scripturae textus commemorat. An ideo licuit loquendi & disputandi necessitate tres personas dicere, non quia scriptura dicit, sed quia scriptura non contradicit. Si autem diceremus tres Deos, contradiceret scriptura dicens: Audi Israel. Deus tuus Deus vnus est. Ecce absolutio quaestionis, quare potius dicamus tres personas quam tres deos: quia scilicet illud non contradicit scriptura.

Aug. in eodem lib. 7. paulo inferius.

Aug. ca. 10. dem 4. paulo inferius.

Deut. 6. a. Lib. 8. ca. eiusdem 6. 377140.